

Bibliothèque numérique

medic@

**Silva, Jean Baptiste - candidat / Daval,
Jean - président. - An senibus Thé ?**

1712.

***Paris : Apud Viduam Francisci
Muguet, Regis & Facultatis
Medicinae Typog.***

Cote : ms 2325 n°72



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax04x0072](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax04x0072)



QUÆSTIO MEDICA,

*Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis
Medicorum, die Jovis tertiâ Martii 1712.*

M. JOANNE DAVAL, Doctore
Medico, Præsides.



An senibus Thé?

I.

HUMANUM corpus quàm sibi pro variis ætatibus dissimile ! id cum à liquidis, tum à solidis, quibus constat, partibus. Liquidæ sunt sanguis, & quarundam ejus partium rivuli ; utrique diversæ indolis particulis pollent ; ille omnigenis, hi certis quibusdam. à diversis peculiaribusque particularum mole & figurâ effervescentiæ, fermentationes : quibus omnis latex perficitur, perimitur. Ne mireris ! quotidie contrarii effectus ex eadem causâ prodeunt. Quæ per initia evolvit, gignit ; ipsa dein dirumpit, disperdit. Solidæ partes molem corporis Naturâ suâ quiescentem complectuntur. Hæc mirabilis est divinaque compages tubulorum, quorum alii recti ; alii curvi ; plerique in multiformes vesiculas expansi ; omnes ex eadem ficti materiâ, & vario præditi diametro pro variis externarum internarumque rerum actionibus mutabili. Singuli isti ductus motum mutantur à liquidis : passivè dumtaxat ad varias motûs determinationes conferunt ; ex se licet immoti, multas tamen subeunt mutationes, jugiter insensiles, certis temporibus conspicuas : quibus liquores multò magis obnoxii. Solidæ ejusmodi partes in pueritiâ exiles, teneræ, molles : liquidæ verò impliciæ, rudes, nondum defecatæ. Utræque in juventute vegetiores : in ætate, consistente vulgò dictâ, aliquatenus infirmatæ : in senectute (provehitior præfertim) effætæ prorsus & imbelles ; in hac enim liquores acescunt ; ferè vertuntur in fæcem ; lentius moventur ; pluribus in locis desident ; quadam tenus arescunt vasa, laxa tamen concidunt ; inertes elateres jacent ; estque mechanica constructio ruinæ proxima.

II.

LIQUIDÆ corporis partes conclusæ solidis jugi ac multiplici cientur motu. Plurimas illarum insensiles moleculas de sede dimovent ; foras per varios pellunt exitus : & cum eis majori copiâ erumpunt, aufugiunt. Hinc naturalis utrarumque mutatio, prima futuri interitûs causa. Cum liquida-

rum principia diuturno moru, & intestino² & externo, magis ac magis dissociantur; & rupto sulphure (communi omnium vinculo) spiritus salesque volatiles avolant: tunc superstites succi acorem contrahunt, & vini vetustioris instar in quamdam aceti speciem degeneres fiunt. In senectute igitur horumce succorum acida nec amplius actuosis particulis à se invicem satis sejuncta ac dissita, nec ferè collisa, nec ferè refracta dominium teneant necessum est. Hujus quoque rei argumento sint ructus acidi in senibus frequentiores; & uniuscujusque lingua acidum senescentis sanguinis saporem percipiens. Effætos desidentefque senum liquores, immò & exhausti spiritus non minùs declarent pulsus segnities, trementia membra, frigidus madidusque nasus, oculorum livor, obscuritas, lacrymæ, obtusi sensus, deleta ferè memoria, sterilis imaginatio, etiamnùm mentis torpor. (quod si omnia hæc tristia phænomena in quibusdam senibus non contingunt: veneranda universæ legis exceptio est, singulari supremi artificis beneficio condonata.) Fatalem verò vasorum remissionem & elaterum inertiam testentur non modò ex iis, quæ dicta sunt, multa; sed & pendentes genæ, corporis macies, cutis rugæ, ac motuum omnium tarditas. Machinam denique mox perituram demonstrent humorum in propriis tubulis mora, & extra non paucos ipsorum alveos fluxus; quos tota compages multis in locis dehiscens annisque attrita & effracta continere ac regere haud ampliùs potest.

I I I.

TO T malis deffessi senes vitam non spernunt! hujus occasum finemque timent. solem, qui ipsis tam obscuros facit dies, ac brevi nullos faciet, ardentèr cupiunt sistere; & alterum Josiæ sollicitè quærunt. oculatis occurrunt plurimi; qui non insolito equidem miraculo, sed humanâ industriâ, improbo labore efficiunt: ut astrorum splendidissimum illis clarius diutiusque luceat. in terrâ quærunt celi auxilium; quo possit spiritale Microcosmi sùs in suo circulo jucundiùs immorari; & vitalem corporei externique luminis perceptionem servare, prorogare. In hanc rem plantas seligunt in terræ superficie: in hujus visceribus mineralia metallaque scrutantur: nec non venantur animantium omne genus; ex iis omnibus diversas & salutare particulas variis artibus educturi. Nulla derique non lustrant regna, & trans mare currunt; ut senibus aliisve mortalibus, si non immortalitatis Pharmacum, saltem solatia quædam inveniant. Plagæ etenim sunt talibus præfidiis aliæ aliis ditiores. Ex his præstant Indicorum, Sinarum, Japonicorumque regiones: in quas, veluti in alteram promissionis terram, novis istis Josiæ penetrare datum est. ibi optata vigent Naturæ munera. ibi Phæbi terræque sunt amabiles fetus, vividioribus secundi connubii flammis, purioribusque succis & formati & viventes. hos inter arbuscula Thé viret, suis celebrata foliis, quæ mole exilia; viribus magna; omnium deliciæ; multorum salus. Nihil enim melius potest effætas & imbelles tam liquidas, quàm solidas senilis corporis partes reficere, evecta frenare acida, etiamnùm frangere; depauperatos spiritus ditare; firmare laxiora vasa; inertes pigrosque elateres stimulare; proximam horum omnium tardare ruinam, voracisve Libithinæ prædam ad tempus retinere.

NOBILISSIMUS hic-*ce* frutex malo puniceæ, Myrtho^{que} magnitudine, & decore non impar, plurimos è caudice ramos ac furculos mittit innumeris floribus rosarum instar, totidemque foliis luculenter ornatos. de floribus, ut de radice pluribusque aliis partibus, quàm variæ quàm discrepantes sententia! folia, quæ sola ad nos advehuntur, & quæ frequens commendat usus, decet duntaxat, & possumus, expendere. His analysi Chymica evolutis, & subiectis æquo sanorum sensuum judicio tribuantur amica volatiliū salium, blandissimique sulphuris consociatio gratissimi odoris parens, & subamarus stypticus que sapor, ab his omnibus illorum præcipua vis. quid vividi isti sales ad infringendos vel absorbendos acidorum aculeos valeant; extra nos commonstrant innumera artis Chymicæ experimenta; intra nos eorum operâ solutæ obstructions concretionesque variæ, acidorum modo causæ, modo effectus, subamararum Thé particularum munus idem. harum poros explora; & intelliges evecta senum acida illos subire vix posse absque suorum aculeorum aut ruptione, aut implicatione. Nec minùs mireris quàm jucundè illius sulphur hæc quoque acida leniat; ruptumque principiorum sanguinis naturale scædus instauret: expende balsamicos ac molles ejus ramulos; & id tibi certò constabit. Verùm plura potest adeò exquisitum sulphur. Motum addit effætis liquoribus; degeneres spiritus emendat; depauperatos reficit. Hi tamen salutares effectus non à solo simplicique sulphure, sed à salibus volatilibus, & à subtiliori materiâ intra recensitos illius ramulos luxuriantibus etiam repetendi. Quanta est intimæ hujusce mixturæ vis! hæc restitutis nativis rarefactionibus non modo fatalis liquidorum densitas minuitur plurimùm, aut ad tempus tollitur, sed & solidorum remissio æquè pertimescenda cessat; tonusque redit. Liqueorum omne genus in majorem molem expansum, quæ concidunt, vasa mirè roborat, sustinet. Immo vel minimæ fibræ, quibus alii formantur ductus, uberiori vividiorum particularum accessione veluti recreatæ facile saliant, oscillant; vitalesque motus renovant, protrahunt. Non minùs benè morantur fatiscantis citiusque perituræ machinæ ruinam pretiosa folia, styptica, quibus gaudent, particulis. Hæ dissociata jungunt; laxata firmant; clauduntque aditus domesticis, ut extraneis, hostibus; & veluti pali tremulam vetustamque domum à ventorum impetu, ab aquarum eruptione, variisque procellis tuentur.

V.

QUANTUM Thé senibus prodesse soleat: si quis è supradictis non capit; det saltem manus experientiæ; hæcque discat, illius præsidio crudos senilis corporis humores apprimè subigi; molestos discuti flatus; turpes ructus domari; suscitari, augeri ciborum appetentiam: eorum que concoctionem non parùm juvari; tardam scilicet promoveri; depravatam corrigi; & quavis ex parte imperfectam reddi multò meliorem. Dubitas? assensum sustines, donec periculum feceris? interim expendas rursus & attentius, quid possint vividæ, stypticæ, & subamaræ particulæ in salutiferis Thé foliis vigentes, licet non supra modum evectæ. Omnibus imbecillis ac vitiatis, sive liquidis sive solidis, partibus naturâ suâ junctisque viribus

non mediocriter opitulantur. Sed præsertim pigriorem fuscitant ventriculū; firmant laxiorem; supervacanea noxiave acida perimunt, aut implicant; necessaria movent; pellunt que, ut expedit, in alimentorum poros illis proportionē affines; in quibus ætherea materia impulsis hisce acidis compressa in particulas ipsam continentes validius fertur; has quaquā versus expandit; ex iisque alias disrumpit; alias evolvit, & extricat. Sic earum mole, figurā, positurā, quiete, ac motu prorsus immutatis nova intimaque mixtio, optandus Chylus (beneficus omnium liquorum fons) conficitur. Quanta indē vetusti sanguinis, & aliorum liquorum; immò solidarum partium emendatio! quā felix triturationum, secretionum, & omnium functionum instauratio, vitæ & sanioris & longioris spes! Adeò latē patent exotici nostri fruticis dotes, ut eis mens ipsa, materiæ quamvis expers, sed suo caduco domicilio ob institutam à creatore societatis legem gravata, mœsta, & veluti sepita, grato quasi incantamento nemini non noto frequenter sublevetur. tetri halitus ad ejus sedem solā circuitus viā translati, etiamnum transferendi, mirum in modum subiguntur, disperguntur. faciles cineræ substantiæ aditus heterogeneis particulis clauduntur. defæcati sincerioresque animales spiritus acceptos ab objectis typos modosve distinctius servant; distinctius quoque, in destinata cerebri parte (verisimiliter callosā) consignant: aut impressā jam vestigia sine obicibus subeunt ac relegunt, congruentes ab eis modificationes excepturi. sensatio tunc, imaginatio, memoria, omnesque animæ actiones multo vegetiores evadunt. Quid plura? hæc sufficiant iis qui non præjudicatā opinione reerentur; & æquis omnia librant ponderibus. tor, aliaque commoda è variis Thé præparationibus, at maximè ex ejus tincturā aquæ leviter bullientis auxilio extractā haud dubiè expectanda senibus. sapienti & frequenti illius usu ipsis non ampliùs erunt spinæ sinè rosis, hyems sinè vere, tenebræ sinè luce; sed primarum ætatum flores, vigor, splendorque in senectute apud nos, ut apud Sinas, non parùm reviviscent.

Ergo senibus Thé.

Proponebat Parisiis JOANNES BAPTISTA SILVA
Burdigalensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1712.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typog. 1712.